

## **Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...**

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In qua tractatur de Sacrementis in Genere, & duobus primis in specie

**Bosco, Jean a**

**Lovanii, 1665**

Concl. III. In extrema necessitate tenetur quilibet parvulum baptizare jure naturali charitatis, etiam cum certo periculo vitæ; si sit probabilis spes eum juvandi, & mors mea non sit futura causa ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73340](#)

quamlibet, qui ibi aperiè proposita non est, ex ipsa necessitudine coniugiorum, atque filiorum sanctitatis astringenit, illud tamen sine dubitate tenerendum est, quecumque illa sanctificatio fit, non valere ad Christianos faciendo, atque ad damnationem venire peccata, nisi Christiana & Ecclesiastica institutione, & Sacramentis efficiantur fidèles.

Nam nec coniuges infideles, quamlibet sanctis & scitis coniugib[us] baream, ab iniquitate mundantur, que a regno Dei separatos in damnationem venire compellit, nec parvuli de quibuslibet sanctis iustis procreat, originalis peccatis reatu absolvuntur, nisi in Christo fuerint baptizati, pro quibus tanto impensis loqui debemus, quanto pro seipsis minus posunt.

Ita sincerissimus Euangelij preceo, verbi divini solidissimus interpres, veritatis & gratia fidelissimus assertor, Apostolicā viate simul & doctrina diligentissimus custos Sanctus Augustinus, de quo hoc testimonium reliquit S. Vincentius Ferrerius: Qualibet Doctor est contentus ad probandum dictum suum, si potest habere manū auctoritatem Augustini. Et nos igitur hāc contenti sumus.

**26.** Ex qua utique discimus, vel Apostolum solum loqui de sanctitate aliqua extrinseca, sicut omnia alia, que junguntur rebus sacris aliquo modo sanctitate asperguntur, seu sancta reputantur, juxta illud Rom. 11. v. 16. Quod si delibato sancta est, & massa: & si radix sancta, & rami. Ubi Apostolus Iudeos, eti[us] tunc nequam & infideles, ostendit non debere contemni à Gentibus, sed potius amari & honorari propter sanctitatem radicis, Patriarcharum videlicet & Prophetarum, quam extrinsecè communicabant.

Unde scitè dixit Scotus 4. dist. 4. q. 3. d. 3. Fructus in quantum est aliquid arboris, sequitur conditionem arboris: tamen in quantum est aliquid in se, potest habere conditiones oppositas arboris in se; potest enim fructus esse mollis, & arbor dura. Sic in proposito, quia iustitia & iustitia respicit personam in se, non ut consoniam vel divisam localiter, respectu alterius persona: & ideo iustitia vera & intrinseca potest competere proli, licet non matre, & e converso.

Aut certe, si de intrinseca sanctificatione sit sermo, non in re, sed in spe probabilis conversionis conjugis infidelis ratione confortij cum fidei, nec non Baptismi parvolorum, sanctaque educationis operâ partis fidelis. Quia vero hæc spes ex toto corruit quoad conjugem, si fiat separatio, & pro magna parte quoad filios (natum quippe est fieri, quod pro-

les sequatur conjugem infidem, maximè si sit vir) ideo Paulus separationem disfueret: equidem subiungens v. 15. Quod si infidelis dicedi, dicerat fidelis.

Vnde enim, inquit v. 16. seu mulier, si virum salvum facies & aut unde seu vir, si mulierem salvam facies? Nisi unicuique sicut visit Dominus, unumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet, & sicut in omnibus Ecclesijs doceo;

Hoc est, nili cum eo permanens, juxta Dei voluntatem vivas, verbis & exemplis ad veram fidem commovendo & exhortando, ac tandem per Dei gratiam convertendo.

Concludo hunc discursum verbis D. August supra: Nemo de hac se fallatur, & fallatur. Omnes admit aitq[ue] auct[er] iste sancta Scriptura sensus manifestus ambages. Quemadmodum ab origine trahitur mors in corpore mortis huic, sic ab origine tractum est & peccatum in hac carne peccati, proper quod sanandum, & propagine attrahit, & voluntate auctum, atque ad ipsam carnem resuscitandam, medicus venit in similitudine carnis peccati, qui non est opus sanis, sed agrotantibus, nec venit vocare iugos, sed peccatores.

Sed quoniam omnia exordia parvulorum, totaque illa principia needum rationalis infantia sub arbitrio jacent voluntatis alienæ, nec ullo modo eis, nisi per alios consuli potest, ut supra diximus ex S. Proptero, si pupilli, inquit S. Aug. supra cap. 13. opem ferre precipimus, quanto magis pro ipmis laborare debemus, qui desitutores & miseriiores pupilli, etiam sub parentibus remanebunt, si eis Christi gratia denegabitus, quam per se ipsi flagitare non possint? Et si mandavimus unicuique hominum de proximo suo Ecclesiastici 17. v. 12. quanto magis parentibus de filiis, Dominis ac Pastoribus de subditis? Dico itaque:

27.  
Concludatur praedictus dicens dicitur.  
S. Augu-

### CONCLUSIO III.

In extrema necessitate tenetur quilibet parvulum baptizare jure naturali charitatis, etiam cum certo periculo vitæ, si sit probabilis spes cum iuvandi, & mors mea non sit futura causa gravioris mali.

In gravi necessitate cum iatura partis fortunarum; &

R 3 si fue-

si fuerit parens, Dominus aut Pastor, etiam cum jactura vita.

28.  
Quid sit  
extrema ne-  
cessitas spi-  
ritualis.

Quid gra-  
vis.

In extrema  
est gravis  
obligatio,  
Matth. 22.  
viii.

29.  
Propterea  
docuit Ies-  
sus Christus,  
Joan. 15.

Aet. 1.  
verbo &  
exemplio.

S. Bonavent.

Trident.  
Qui erat  
verus pro-  
pitiator.

Joan. 10.

**E**x tremam necessitatem spiritualem (de ea enim huc agimus) voco periculum aeternae damnationis, ex quo se aliquis nullo modo potest eripere, ita ut sine mea opera salus ei physice aut quasi physice dici queat impossibilis. Gravis autem necessitas est, quando homo physicè quidem potest salvari, sed valde difficulter.

Nunc probatur prima pars conclusionis; quia si umquam, tunc saltu obligat preceptum charitatis diligendi proximum sicut seipsum. Matth. 22. v. 39. Secundum autem preceptum simile est huic: diligere proximum tuum sicut te ipsum. Quemadmodum ergo quilibet rationabiliter debet velle potius nullis mori corporaliter, quam semel aeternaliter, adeoque ad evitandam propriam damnationem certam debet quocumque periculum vita corporalis subire; quidni etiam idem debeat facere ad avertendam certam damnationem proximi, quam sine eius opera nequit evitare? Profecto gravius malum ex cogitari non potest, respectu cuius quocumque incommodum temporale leve & pro nullo quasi estimandum est.

Exemplum dedit nobis unigenitus filius Dei Jesus Christus, ut quemadmodum ipse fecit pro nobis, ita & nos proximo nostro faciamus. Hoc est preceptum meum ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ait Christus Joan. 15. v. 12. Et ostendens in quo haec dilectionem nemo habet, ut anima suam ponat quis pro amicis suis. Fecit quod docuit. Capit. Iesu facere, & docere, Aet. 1. v. 1. Quis tam impius ut audet dubitare?

Nec solum pro amicis, sed etiam pro inimicis. Non credo, loquitur Seraphicus Doctor S. Bonaventura parte 1. stimuli divini amoris c. 12. quod omnes Angeli de paradyso possent suis intelligentijs capere hanc vehementiam charitatis, qua Dominus noster Jesus volunt talia pati pro nobis vilissimis servis, immo nequissimis inimicis.

Hunc siquidem proposuit Deus, propitiatorem per fidem in sanguine iussi pro peccatis nostris; non solum autem pro nostis; sed etiam pro totius mundi. Tridenti less. 6. c. 2. in fine. Ipse de se testatur Joan. 10. v. 14. & 15. Ego sum Pastor bonus, & cognosco meas, & cognoscunt me mee. Sicut novit me Pater, & ego agnoscere Patrem, & animam meam pono pro oibz meis, ut vitam aeternam habeant,

certò alioquin perituri in aeternum. Accedat testimonium discipuli, quem diligebat Jesus, Epist. 1. c. 3. v. 16. In 1. Jan. hoc, inquit, cognovimus charitatem Dei, quoniam illa animam suam pro nobis posuit; & nos debemus pro fratribus (alioquin certò certius in aeternum damnandis) animas ponere.

Hæc est sententia D. Aug. omnium Ecclesiastarum Doctoris Eximij lib. de mendacio ad Consentium c. 6. ibi: Tempore plane vitam suam pro aeterna vita proximi non dubitabit Christianus amittere. Hoc enim precepit exemplum, ut pro nobis Dominus ipse moretur. Ad hoc enim & ait: Hoc est mandatum meum &c. Non enim quisquam est ita despiens, ut dicat aliud, quam saluti sempiterna hominum consuluisse Dominum, vel faciendo quod præcepit, vel præcipiendo, quod fecit.

Augustinum sequuntur ceteri Ecclesiastes & Doctores, quando baptizandus est filius alicujus Christiani: nam (inquit Lor. 2. 2. sec. 3. disp. 28. n. 32. in fine) cum filii infidelium non sint baptizandi invitatis parentibus, non est subveniendum filio infidelis in eodem articulo.

Sed hæc limitatio nobis non probatur, tum quia parentes possunt esse voluntarii; tum maximè quia per Baptismum parvuli jam morienti nulla fit injuria parentibus, ut plenius constabit ex infra dicendis de Baptismo filiorum infidelium. Si tamen occurreret casus per possibile, vel impossibile, in quo infans morti proximus non possit baptizari sine injuria parentum, vel fidei Catholicae, fateor me non debere succurrere baptizando cum periculo vite; quippe præceptum charitatis non obligat cum injuria proximi, vel Dei: siquidem non sunt facienda mala ut eveniant bona. Rom. 3. v. 7. & 8. Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipsius: quid adhuc & ego tamquam peccator iudicor? Et non (sicut blasphemant, & sicut ait quidam nos dicere) factamus mala, ut eveniant bona; quorum damnum ista est.

Cum ergo, teste D. Aug. supra c. ultimo, Ad sempernam salutem nullus decudatur nisi opulante mendacio; profecto nec parvulus nullus salus procuranda venit adjacente iuria, qua magis Deo displicet, quam mendacium. Quamvis nonnumquam contingat, ut actio, qua efficitur injuria extra necessitatim, in ea non censetur injuria sed secundum dictamen charitatis.

Paret in acceptione rei alienæ, quam justitia prohibet quilibet non indigentem; charitas autem dicitur licet extremis laboranti; etenim in extrema necessitate omnia sunt communia, neque divisio honorum

Sect. 4. De Subject. & præc. Baptis. Concl. 3. 319

bonorum potuit prædicare juri, quod unusquisque habet ad vitam suam conservandam ex bonis, ad id à Deo creatis, & hominibus concessis. Et credam ego Deum concessisse ius parentibus in filios, quando extreme periclitatur æternae corum salus, alioquin per Baptismum, à Deo ad id instrutum, certò consequenda? Non credam.

<sup>32.</sup> Neque illud arbitror verum, quod Lorca supra imponit Dominico Soto lib. de regendo secreto memb. 2. q. 2. post 6. conclusionem; parvulum scilicet non esse baptizandum cum periculo vita; quando necessitas istius parvuli ab extrinseco inducta est. Quid enim resert, ait Lorca, si inducatur ab extrinseco, si verè sit extrema?

Perinde est  
sive illa ne-  
cessitas sit  
ab extin-  
cio inducta  
sive ab in-  
trinseco.

Dummodo  
ab illa se  
non possit  
parvulus  
exigere.

Sed quidquid sit de necessitate, an major sit, an minor, vel æqualis, parvum interest, dummodo sit talis, à qua puer non potest se eripere absque mea opera. Enimvero fundamentum huius obligationis non desumitur ex necessitate mortis, sed ex necessitate damnationis, supposita certa morte. Quid si dixerim submersionem pueri, casu in flumen prolapso, magis esse necessariam, quam occasionem ex imperio tyranni? Nonne imperium liberum, & executio similiter voluntaria? Submersio autem naturalis est. Esto tamen sit necessitas ab extrinseco major, ut vult Lorca, ad summum probat obligationem succurrendi in tali casu cum periculo vita, in quo est verbum eius verum.

<sup>33.</sup> Sed ubi Sotus id negat? Loco, inquit, citato Hec sunt verba Soti. Et quartò arguitur. Quia secundum Doctores, nemo obligatur baptizare puerum cum periculo propriæ vita: saltem quando periculum est ab extrinseco, puta ex malitia tyranni prohibentis me baptizare puerum. Ergo à fortiori, nec teneor cum tali periculo corripere fratrem: nam major est necessitas pueri Baptismi, quam adulto correptionis.

Quis dubitat? Nam peccator seipsum potest corriger, non sic puer seipsum baptizare. Ergo hic Autor negat puerum istum esse baptizandum, si sit in periculo mortis. Praeclaræ consequentia! Cæcum sit oportet, qui verba textus inspiciens, non illuc videt Sotum agere de periculo vita propriæ, neutiquam vita parvuli baptizandi. Et sanè si loqueretur de casu conclusonis, quomodo vir adeo in Theologia versatus contrarium ausus fuisset alterare se-

cundum Doctores, cùm omnes opinio in conclusionem conspirent? Quod ut melius intelligas, & clarius perspicias,

Notæ principalem conclusionem, pro cuius probatione Sotus adferat simile Baptismi, esse istam. Persona private nullum <sup>sunt</sup> est peccatum, timore mortis, aut amissionis notabilis fama, aut bonorum exteriorum cessare à correptione, ubi correptio non est simpliciter necessaria, quamvis certum sit correptionem profaturum.

Hanc probat quatuor distinctis argumentis; quorum ultimum est de Baptismo jam allegatum. Confirmat insuper primos; Nam jugum Domini suavt est, qui non obligat nos ad opera difficultissima &c. Secundū, ex sententia S. Thome 2. 2. qu. D. <sup>26. a. 5.</sup> ubi querit, an teneatur homo diligere salutem spiritualem proximi potius quam corpus proprium: & facit tertium argumentum ad partem negativam; quia homo non tenet exponere vitam corporalem pro salute spirituali proximi, sed hoc est perfectorum: & respondet concedendo: Quia, inquit, non est tanta cura nobis vita spiritualis proximi, quanta est corporis proprij, nisi in casu quo quis teneatur providere saluti illius. Quod intellegitur, inquit Sotus, quando alicui incumbit ex officio: vel quando vita nostra est simpliciter necessaria saluti proximi.

Ex quo inferit Concl. septimā; quod si daretur casus, quo vita corporalis privati hominis esset simpliciter necessaria saluti spirituali proximi, tunc, inquit Sotus, non dubito, quin teneretur ille mori pro correptione fratris; nam alijs præponeret vitam charitati: qua est ratio nostræ, & communis doctrina.

Ita si mature expendisset Lorca, citius <sup>35.</sup> comprehendisset Sotum communem sententiam non negasse, sed potius confirmasse <sup>Imo posita tandem</sup> exemplum correptionis fratrum; si enim hæc vita obligat cum periculo vita corporalis sive extrinseco, sive intrinseco, quando simpliciter est necessaria salutem spirituali proximi: quidnisi etiam ex sententia Soti obliget Baptismus cum eodem periculo, quando est simpliciter necessarius, puta in casu conclusonis, ad æternam parvuli felicitatem?

Ex his appetet non difficilè cuilibet esse credendum, quando citat aliquem pro sententia, communis opinioni Doctorum contraria; sed accipe textum, lege, relege, ne secutus errantem, ac male citantem, & ipse eres in citando.

Hec pro excusatione Soti, qui causam dedit illi errori, per distinctionem periculi <sup>\*</sup> extrinseci

320 *Disputatio 2. De Baptismo.*

extrinseci ab intrinseco, quæ erat omnino extra propositum. Sed revertamur ad conclusionem, in qua

36.  
Quia intel-  
ligitur dum  
est probabi-  
lis ipses pro-  
ximum ju-  
yandi,

Dixi Primo: *Si sit probabilis fides &c.* Quippe pro bono spirituali incerto, haud tenemur exponere bonum summum & maximè diligibile post bona spiritualia, certissimo periculo; Charitas siquidem dicit magis amandum esse bonum, quod obtinetur, quam de quo nulla est probabilis spes, quod obtinebitur. Unde & ipsum lumen nature videtur id scripsisse in cordibus hominum; ideo namque oportet exponere vitam temporalem, ut proximus accipiat spiritualem; ergo ubi hæc est impossibilis, illam exponere est quædam prodigalitas propriae vita; sicuti est quædam prodigalitas bonorum fortunæ, quando illa consumuntur pro vita, quam probabilitate non possunt conservare.

37.  
Et mors  
mea non sit  
futura gra-  
vioris mali  
causa.

Dixi Secundò: *Et mors mea non sit futura &c.* Quia potest contingere, quod vita mea sit maximè necessaria pro bono communis spirituali, ut si jam velim baptizare hunc infans cum manifestissimo periculo mortis, postea innumeris alijs morituri sint absque Baptismo, quos alij possem baptizare. Porro quemadmodum bonum temporale communis prævalit bono temporali privati hominis, ita quoquè bonum spirituale commune præponendum est bono spirituali privato. Est sententia communis,

38.  
Si sit gravis  
necessitas

Transeo ad secundam partem conclusionis, quæ & ipsa communiter docetur in Tract. de Charitate, ubi de dilectione proximi. Enimvero quod in gravi necessitate non tenet succurrere cilibet privato homini cum periculo vita, vel inde factis constat, quod talis absque mea opera absolutes possit v.g. baptizari; adeoque nulla est ratio imponendi tantam obligacionem singulis hominibus; maximè cum hæc necessitas inter homines infideles satis frequens sit, & omnino heroicæ charitatis existat ac fortitudinis, vitam suam pro fratribus ponere.

Confirmatur; quia cilibet non tenet succurrere privato homini, constituto in periculo vita corporalis, ex quo seipsum absolutè potest eripere; succurrere, inquam, cum notabili jactura bonorum temporali, puta diminutione status sui, ergo neque procurare salutem spiritualem in gravi dumtaxat necessitate cum jactura proprie vita corporalis: sed sicuti obligor ex charitate, subvenire proximo graviter laboranti in necessarijs ad vitam corporalem cum jactura partis fortunarum, ut traditur

in materia de eleemosyna; pari ratione, imò majori debeo sublevare necessitatem spiritualem cum damno aliquo temporali respectivè graviori, quemadmodum indigenita spiritus, gravior est indigena corporis.

Nota me dixisse, *Cilibet privato homini;* 39.  
*Quoniam si Rēpublica graviter indige-* Nihil à lib.  
*ret sive re spirituali, sive temporali, que-* spiritu  
*libet pars ex justitia legali, secundum re-* publica  
*cepissimam & verissimam sententiam alij* Sive è a  
*examinandam, teneretur ei succurrere, etiam* spirituali  
*cum periculo vita; bonus quippe com-* dico  
*mune præedit bonum privatum. Quis* tali  
*autem sane mentis dubitare potest, civem* spiritu  
*arctiori vinculo constringi, quam quilibet* spiritu  
*extraneum?* *Si ergo, qui non est pars* spiritu  
*Rēpublica, nihilominus ex charitate in* spiritu  
*extrema necessitate obligari vitam pro ea* spiritu  
*ponere; quis merito indignari potest, si* spiritu  
*dixerit, civem ex justitia legali, que in-* spiritu  
*clinat partem ad procurandum bonum to-* spiritu  
*tius, eamdem subire obligationem in gravi* spiritu  
*necessitate?*

Atque ista sit ratio ultimæ partis con- 40.  
clusionis: etenim cùm Parens, Dominus Præterit  
ac Pastor multò arctius obligentur pro- mou  
curare Baptismum parvulo, quam quilibet Rēpub  
privatus; hic siquidem ex charitate sola, illi civis  
insuper ex pietate, aut justitia; noli exclu- spiritu  
fare illos in gravi necessitate à præcepto spiritu  
Christi ponendi animam pro fratribus, spiritu  
quod unumquemque concernit in ex- spiritu  
trema.

Alioquin æqualis erit obligatio & hu- spiritu  
jus, cui imminet specialis cura de salute spiritu  
proximi, & illius, cui non imminet, con- spiritu  
tra apertissimam doctrinam D. Thomæ D. Thoma  
Aquinatis, superius à Soto allegatam, 2.2. ma  
q. 26. a. 5. in responsive ad tertium. Di- spiritu  
cendum, inquit, quod cilibet homini imminet spiritu  
cura proprii corporis: non autem imminet cilibet homini cura de salute proximi, nisi forte in spiritu  
cau. Et ideo non est de necessitate charitatis spiritu  
quod homo proprium corpus exponat pro salute spiritu  
proximi, nisi in cau, qui teneat eius salutem spiritu  
providere. Quod intelligit, inquit Sotus fu- spiritu  
pra, quando alicui incumbit ex officio.

Ex quo hic Auctor ita concludit §. Se- spiritu  
tima conclusio: Prælatus aliquando tenet spiritu  
pro correctione subditorum exponere vi- spiritu  
tam, etiam ubi peccata non procederent spiritu  
ex ignorantia. Nam quamquam tunc non spiritu  
est usque adeo simplicitate necessaria eorum spiritu  
correptionis: tamen, quia ratione officii in- spiritu  
cumbit illi correptioni fieri potest, ut ubi spiritu  
priuatæ personæ fuerit consilium ponere spiritu  
vitam pro fratre, Prælato si præcepit spiritu  
ponere illam pro filio.

Unde

Sect. 4. De Subject. & præc. Baptis. Concl. 3. 321

*Jean. 15.* Unde de omnibus in universum amicis  
ait Christus Joan. 15. v. 13. Maiorem hanc  
dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat  
quis pro amicis suis: quasi hoc ad perfectionem  
pertineat: sed de Pastoribus ait Joan.

*Jean. 10.* 10. vers. 11. Pastor bonus animam suam po-  
nit pro ovibus suis: quasi hoc pertineat ad  
necessitatem. Sequitur enim: Mercenarius

*Qui relin-*  
*que non*  
*possunt*  
*ores qua-*  
*dō diven-*  
*lupum ve-*  
*lentem.*

autem & qui non est Pastor, cuius non sunt oves  
proprie, videt lupum venientem, & dimittit  
oves, & fugit, & lupus rapit & dispersit oves:  
mercenarius autem fugit, quia mercenarius est,  
& non pertinet ad eum de ovibus.

*Hæc ad Pastores dico, qui tempore per-*  
*secutionis metu mortis aut captivitatis de-*  
*serunt ministerium Christi, sine quo non*  
*possunt homines vel fieri, vel vivere Chri-*  
*stiani, id est, ministerium Baptismi, &*  
*aliorum Sacramentorum.*

Et ad vos, quibus incumbit onus & ne-  
cessitas providenti populo de convenien-  
ti Parochi & bono Pastore, quicquid eo no-  
mine percipitis decimas populi & proven-  
tus, qui luperexcrescent ultra canonican  
portionem ipsius Parochi, & tamen de-  
trectatis concurrent ad communem colle-  
ctam pro redēptione Parochi captivi, re-  
linquentes gregem sine Pastore, à lupis, id  
est, hæreticis dispergendum ac devoran-  
dum: aut certè tales duces constituitis,  
parcentes stipendio justo, qui subditos suos  
defectu scientia aliarumque conditionum  
necessariarum nequeunt defendere ab in-  
vasione lupo rum, ex ore eorum eruere,  
ac moribus curare, procul dubio in æter-  
num perituri, ni Deus extraordinariè pro-  
videntia eos eripiat de matribus hæretico-  
rum, qui Ecclesiam & Pastores perseguuntur,  
non tam ex affectu corporum & di-  
vitiarum, quam bene ut impediatur exercita  
vera Religionis, populo ad salutem ani-  
mæ necessaria, & ipsi hæresim suam semi-  
nare, plantare & firmare valeant.

Certè ostenditis, quicumque tales estis,  
& vos ipsos factis probatis non Patronos  
& Patres Plebis Christianæ & gregis Do-  
minici, de cuius lacte comeditis, & cuius  
lanâ operimini, sed viricos & inianâ Pa-  
tronorum Ecclesie simulachra, & similes  
illis, de quibus dicit Zachar. cap. 11.  
vers. 17. O Pastor & idolum derelinquens  
gregem. Et Ezechiel cap. 34. vers. 2. Væ  
Pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos:  
nonne greges à Pastoribus paucuntur? La-  
comedebatis, & lanâ operiebamini, & quod  
crassum erat occidebatis, gregem autem meum  
non pascebatis.

*Hanc obligationem Pastorum docuit*  
*D. August, in Epistola quadam ad Epif-*

*copum Quodvultdeum, qui ipsum con-*  
*suluerat super simili casu impendente Van-*  
*dalica persecuzione, ibi: Nec eos esse pro-*  
*hibendos, qui ad loca si possint munera migrare*  
*desiderant, & tamen ministerij nostri vincula,*  
*quibus nos Christi charitas alligavit, ne deser-*Hanc obitu-*  
*ationem docuit D.*  
*Augustinus;**

*qui ad loca si possint munera migrare*  
*desiderant, & tamen ministerij nostri vincula,*  
*quibus nos Christi charitas alligavit, ne deser-*Augustinus;**

*mercenarius, qui mercenarius est,*

*& non pertinet ad eum de ovibus.*

*Ex quo infert Epistola 180. ad Hono-*

*ratum ( cui illa responsio Augustini non*

*ad eos placuerat ac satisficerat ) Restat ergo*

*ut nos, quorum ministerium quantulecumque*

*plebis Dei ubi sumus manentes, ita necessarium*

*est, ut sine hoc eam non oporteat remanere, di-*

*camus Domino: Esto nobis in Deum protectorem,*

*& in locum munitionis.*

*Et infra loquens de aliquibus Episcopis*

*Hispaniaz, relatiuè exprimit suam men-*

*tem hisce apertissimis verbis: Et si aliqui de-*

*seruerunt plebes suas, hoc est quod dicimus fieri*

*non debere. Negue enim tales docti anchoritæ*

*divina, sed humano vel errore decepti, vel ti-*

*more sumi vieti.*

*Respondens autem ad objectionem Ho-*

*norati ex Matth. 10. v. 23. Cum persequen-*

*tur vos in civitate ista, fugite ad aliam, sub-*

*necebit: Cur enim sibi putant indifferenter ob-*

*temperandum esse præcepto, ubi legunt de civita-*

*te in civitatem esse fugiendum, & mercenarium*

*non exhortent, qui videt lupum venientem, &*

*fugit, quoniam non est ei cura de ovibus? Cur non*

*istas duas dominicas veraq[ue] sententias, unam scilicet*

*ubi fuga finitur, aut subetur, altera ubi argui-*

*tur arque culpatur, sic intelligere student, ut inter*

*se reperiatur non esse contraria, sicut non sunt?*

*Et hoc quo modo reperiatur, nisi attendatur,*

*quod iam superius disputavi, tunc de locis iiii quin-  
que summe premente persecutione fugiendum esse*

*Christi ministeriu[m], quando ibi aut plebs Christi non*

*fuerit, cui ministeretur, aut etiam fuerit, & potest*

*impleri per alios necessarium ministerium, quibus*

*non est eadem causa fugiendi: sicut in fuga sub-*

*missus .... fugi Apostolus, cum à persecutore*

*propriè ipse quereretur alijs utique necessitatem*

*similem non habentibus, à quibus illuc ministe-*

*rium absit ut desereretur Ecclesia.....*

*Cum autem plebs manet, & ministri fugiunt,*

*ministeriumq[ue] subtrahitur, quid erit nisi merce-*

*nariorū illa fuga damnabilis, quibus non est*

*cura de ovibus? Veniet enim lupus, non homo,*

*sed diabolus, qui plerumque fideles apostatas esse*

*persuasit, quibus quotidianum ministerium Domini-*

*corporis desit, & peribit infirmus in tua, non*

*scientia, sed ignorantia frater, propter quem*

*Christus mortuus est. Quod autem ad eos*

*attinet, qui in hac re non falluntur errore,*

*sed formidine superstitionis, quare non potius*

*contra suum timorem Domino miserante atque*

*aduante fortiter dominant, ut mala sine compa-*

*ratione*

*Doceraq[ue]*  
*non esse fud*  
*giendum ex*  
*locis,*

*Nisi ubi*  
*plebs Christi*  
*non fuerit,*

*Aut, si fuer-*  
*tit, potest*  
*per alios fa-*  
*tisūteris*

## Disputatio 2. De Baptismo.

322

ratione maiora, qua multò amplius sunt tremenda, contingent?

43.

Ne fideles  
multis bo-  
nis priva-  
tis,

Quaris à D. Aug. quæ mala? Respondebit tibi in eadem Epistola: An non cogitamus cum ad istorum periculorum perveniunt extrema, nec est potestas illa fugienda, quantum in Ecclesia fieri soleat ab utroque sexu, atque ab omni ecclæ concursu, alijs Baptismum flagitiantibus, alijs Reconciliationem, alijs etiam Patientientem ipsius actionem, omnibus consolationem, & Sacramentorum confectionem, & exortationem? Vbi si ministri definis quantum exitum sequatur eos, qui de isto saeculo vel non regenerati exēnt, vel ligati? Quantus est etiam luctus fidelium suorum, qui eos secum in vita eterna requite non habebunt? Quantus denique gemitus omnium, & quorundam quanta blasphemia de absentia ministeriorum, & ministrorum? Vide quid faciat malorum temporum timor, & quanta in eo sit acquisitionis malorum eternorum.

Hac cogitate, hæc in statu cordis vestri appendite, quibus hoc periculo tempore persecutionis non tam corporum, quam animarum cura communis est ovis Domini, legite & relegate Epistolam D. Augusti, præmemoratam, & sequimini doctrinam tanti Doctoris, & exemplum Pastoris Pastorum Christi Iesu Domini nostri, qui semetipsum tradidit pro oibis suis, & pro grege suo mori dignatus est; cui vos obligatis, vel potius qui vos sibi obligavit in susceptione cura pastoralis, pacere gregem populi sui, pacere verbo salutaris doctrina, pacere administratione Sacramentorum, pacere exemplo bonorum operum, co præsertim tempore, quo hæc ministeria magis necessaria sunt; ne forte, quod absit, aliquis vestrum reperiaru in numero illorum Pastorum, quibus minatur Dominus apud Prophetam Ezechielē supra v. 10. Ecce ego ipse super Pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam eos, ut ultra non pacant gregem, nec pacant amplius Pastores semetipos, & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit ultra eis in escam.

44.

Ezech. 34.  
Et ipsi Pa-  
stores à Deo  
graviter ju-  
dicientur.

Nec dicat aliquis: hec obligatio gravior est, & inæqualis mercedi, quam recipio. Enimvero non sollicitudinis, laborum & ejusmodi obligationis merces aut præmium sunt fructus sive proventus temporales, qui hic pro vita sustentatione tantum suppeditantur (quos si solum attendas mercenarius es) sed merces & præmium sunt bona illa cælestia, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt. Merces est quod à Christo audies: Euge serva bone & fidelis intra in gaudium Domini tui. Matth. 25. v. 23. ubi

Matth. 25.

semper cum Filio eris, & honorificabit te Pater, quia Filio in oibis suis ministeriali, & dilexisti usque ad bonorum spoliacionem, usque ad incarcerationem, usque ad mortem ipsam. Vide plura apud Wigget's Tract. de Fort. c. 1. dub. 5. ubi experte agit de hac controversia, & subscripti sententiæ D. Aug. Jure, vel iniuriâ, quis potest ambigere? Jure profecto meritissimo.

Et excusatibus parentes ac Pastores ne cum vita periculo in gravi necessitate parvulis debeant procurare Baptismum? Nsequaque: indubit enim omnes fideles graviter scandalizarentur, si contrarium fieri viderent.

Sed numquid, quæ parentis fidelis, eadem est obligatio parentis infidelis? Non etsi licet ambigendi locus. Numquid etiam eadem obligatio Pastoris respectu parvorum parentum fideliū, & infidelium? Sanè cùm parvuli infidelium non pertinet ad jurisdictionem Ecclesiæ, Parochus non aliam habet obligacionem respectu eorum, quam quilibet alias privatas. Et qua illa? baptizandi eos in extrema necessitate, parentibus licet invitis.

Atque hæc sufficiunt de obligatione baptizandi parvulos in necessitate. At vero extra necessitatem, nonne pro libitu poterit Baptismus eorum differri? Minime: sed

## CONCLUSIO IV.

Confuetudo obligat graviter parentes Christianos, & in eorum defectum Dominos ac Pastores, ut primâ opportunitate parvulus procurent Baptismum.

Prima opportunitas est illud tempus, quod spectatis omnibus circostantibus prudenter censetur opportunum.

Dixi autem, Confuetudo, quia hodie nullum ius scriptum de hac obligacione graviter reperitur. Hinc DD. unanimiter (uno aut altero contradicente) allegante confuetudinem. Sensus etiam fidelium, ac scandalum si securus fiat, idem arguit. Ceterum juri divino satisficeret, si baptizaretur in articulo mortis; amplius quippe non constitutum.

Addidi ly, Christianos, id est, baptizatos; siquidem de ijs, qui forsunt, non est Ecclesiæ judicare, juxta illud Apostoli i. Cor. 5. v. 12. Quid enim mihi de ijs, qui forsunt, indicare? Nonne de ijs, qui forsunt, vos indicare?

Nam